

**Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.
Wersja sandomierska z uzupełnieniami wersji krakowskiej**

Rękopis Biblioteki Uniwersytetu w Lipsku „Albertina” 951b, k. 126–127

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 118 [Gn. 113]

[118] De eo. Nunc attendatis de civitate Meydeburgis.

Nunc attendatis de civitate Meydeburgis. Cum primo Meÿdeburg locata fuerit seu fundata [*k. 126v*] imperatoris Ottonis Magni consilio, et fuit stabilita in suo iure, sicut nunc tenet in suo iure municipali secundum consuetudinem antiquorum, et Hallis civitas in ea est fundata, idcirco utraque uno utitur iure. Eapropter omnes de Polonia, de Bohemia, qui sub iure Theutunico sunt locati et de marchia et de Meÿssenensi provincia, et de marchia Luziciensi, hii omnes ius suum in Hallis recipere debent, et de civitatibus, que in hiis districtibus locate sunt. Et si sentenciam ingnoraverint aut defectum in ea habuerint in una [/] sentencia, hanc opportet querere in Meydeburg. Idcirco, quia omne municipale ius protegit, quod iure terrestri fieri non potest, qui cum sentencia reprobata de marchia ad comitatum trahi possit, quia marchio secundum suum arbitrium aut propriam graciam iudicat, quod comes non facit, sed iudicat sub banno regio. Hoc non fit in omnibus civitatibus, ubi bannum regium est, quod vir demeretur tria talenta iudici feodato sub banno regio. Sin autem iudicatur sub banno regio, tunc sculteto demerentur octo solidi de iudicio [*k. 127*] cum sentenciis scabinorum. Idem fit burgravio. Scabini undecim esse debent, et scultetus duodecimos esse debet, quia burgravio primam sentenciam diffinire debet. Quia burgravius nullum bannitum iudicium absque sculteto potest habere, nec scultetus absque hiis undecim scabinis in vero loco iudicali.

[hasła: miasto, Magdeburg, Otto Wielki, prawo niemieckie, zwyczaj, Halle, Polska, Czechy, Miśnia, Marchia Łużycka, wyrok, skarga, sąd królewski, sołtys, sędzia, ławnik, burgravia, sąd wyłożony]